

11.

# MORBI SALUBRES.

---

SCRIPSIT

CAROLUS NAGY,

MEDICINAE DOCTOR.

---

PESTINI, *m*

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

—  
1939.

**Debet Medicus , si quid in morbis divinum insit, huius  
providentiam ediscere.**

*Hippocrat. oper. omn. Tom. I. Sect.-11.*

**REVERENDISSIMO**

**DOMINO**

**LADISLAO VASS,**

**ABBATI B. M. V. DE BATTA.**

**CATH. ECCL. MAGN. VARADINENSIS L. R.**

**CANONICO,**

**SS. THEOLOGIAE DOCTORI, IN REGIA SCIENT. UNIVERSITATE  
HUNGARICA CHRONOLOGIAE, GEOGRAPHIAE SACRAE, ET  
HISTORIAE ECCL. PROFESSORIP. O. FACULTATIS THEOLOGICAE  
SENIORI. RECTORI UNIVERSITATIS EMERITO, INCL. COMIT.  
STRIGONIENSIS TABUL. JUDIC. ASSESSORI, ET ERUDITAE  
SOCIETATIS HUNGARICAE SOCIO HONORARIO,**

**etc.**

**VIRO**

**SCIENTIA, HUMANITATE INSIGNI,**

**SUMMO LITTERARUM CULTORI,**

**OPUSCULUM HOCCE**

**••**

**PERPETUAE VENERATIONIS MONUMENTUM**

**SINCERA CUM DEVOTIONE**


**D. D. D.**

**Auctor.**

## Ad Lectorem!

**Q**uamvis morbus, ceu vitae hostis infensissimus in universum ut malum absolutum ab omni homine horreatur; cum tamen re uberius quaesita, ratione, et experientia compertum sit, morbos quoque interdum aliquid proficui secum ferre, atque sub certa rerum positione directe salutem hominis moliri; ideo materiam hanc seligendam, atque pro sua dignitate disquirendam esse constitui. Nihil in hoc universo existit absoluti, et nullum malum, quod respectu quodam boni quid, et vice versa in se non recluderet. Praetermisso igitur latere, cui innumera mala e morbis prorumpentia adnexa sunt, iis tantum respectu salutis, quam sicut vera remedia homini conciliant, suum valorem tribuere nitar. Cum vero conceptus morbi sine eo sanitatis, cui correlatus est, et utrumque si-

ne conceptu vitae stabiliri nequeat, eum ingressus sum ordinem, ut materiae meae praevias cognitiones de vita, sanitate, et morbo breviter praemiserim. — Tum vero morbos, quos ideo salubres nuncupavi, quod, ut e contextu brevis hujus operis adparet, non solum vitam in genere tueri, sed sanitatem quoque eminentiorem, atque maioris constantiae reddere possint, retenta generali pathologica divisione secundum classes, ordines, et genera therapeutica recensui. — E quibus Lector benevole! me si non praestitisse, praestare tamen studuisse utilis aliquid, quod iuvenem medicum interdum dirigat, perspicere dignaberis. Vale.



# INTRODUCTIO.

---

## §. 1.

Quidquid in rerum natura existit, spatii, et temporis limitibus circumscriptum est. Hinc omne corpus materia ex ultimis elementis structa, et viribus e conflictu virium fundamentalium attractivae, et repulsivae ortis constare debet. Omni etiam corpori activitas interna inhaeret, qua existentiam suam et formam relate ad alia tuetur, et defendit. Vita igitur in genere est manifestatio existentiae, eiusque formae corporum, ut adeo existere, et vivere idem fere sit, et hoc sensu nihil est in sinu naturae, quod non viveret.

## §. 2.

Distinquitur vita universalis, et vita individualis. Illa universae naturae propria est, qua semet ipsam harmonico virium concentu in sua integritate conservat. Haec cuilibet corpori seorsim considerato competit, qua existentiam suam, eiusque formam sustinere nititur. At tamen nullum corpus per se subsistere potest; sed ut pars universae naturae cum hac arctissimo vinculo neclitur, et ideo non tantum se ipsum conservat, verum etiam ad universae naturae conservationem conferre debet.

Vitam igitur ut *Esse* in universo mutationibus haud obnoxiam considerare licet; verum enimvero conservatione sui, quae omnibus insita est entibus, et sine dubio etiam sideribus natura absoluta vi Dei condita illum eundemque semper conservat statum, quem vis creatrix pepigit. Et licet in vita singulari seriem metamorphosium observamus, qua in novas novasque formas transitum exhibet natura, hac tamen serie actionum nil minus, quam transitum specierum in novas species molitur. Nam etsi Geologia ex mutationibus in sinu terrae obviis demonstrat, faciem orbis terraquei magnas passam fuisse metamorphoses in principioque plantas, et animalcula minus nobilia, postmodum nobiliora eluxisse, his tamen solum mutationis leges in vita singulari orbis terraquei detegere sinit; quibus constat pro ratione evolutionis, et nobilitatis orbis terraquei, eundem vitae suae modum entibus suis quoque impressisse, quin unam speciem immediate ex alia explicasset. Quapropter vita ut continua actio, et sub actione continua metamorphosis, non ut fieri in absolutum, sed potius *Esse* in absolutum concipienda est:

Nec perit in tanto quidquam (mihî credite) mundo,  
Sed variat, faciemque novat: Nascique vocatur,  
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; Morique  
Desinere illud idem. Quum sint huc forsitan illa,  
Haec translata illuc, summa tamen omnia constant.

*Ovid. Nas. Metamorph. libr. XV.*

### §. 3.

Patet hinc non esse vitam distinctam, quae aggregat, et in cohaesione retinet, ab ea, quae assimilat, producit, propagat, movet, et sentit, sed unam eandemque esse ubique naturae efficientiam, quae saltem diversis modis, diverso gradu agit, et diversa quoque ratione ab intellectu cognoscitur: unde vita infima, vita altior, et vita altissima.



## §. 4.

Vita infima inhaeret corporibus anorganicis, et manifestatur semper iisdem phoenomenis, nempe: aggregatione, et cohaesione. Aliter consultum est organicis: altior occurrit vita in plantis, quae intus susceptione, et adsimilatione oriuntur, conservantur, et speciem suam propagant. Animalibus obtigit vita altissima, qua non solum conservantur, speciem suam propagant, sed etiam moventur sponte, atque sentiunt: sed supremus tamen eorundem finis est existentia materialis.

Vita hominis est physica, et psychica; physica iterum vel plastica s. vegetativa, vel animalis; plastica porro iterum in individualem, et sexualem abit; illa conservationem individui per nutritionem, haec conservationem speciei per propagationem sustinet. Animalis aequè dividitur in irritabilem, quae motui, et sensiferam, quae sensui competit. Psychica functionibus mentis praefixa, e quibus ratio altissimum culmen consecuta est. Homini itaque praeter ea, quae cum ceteris animalibus communia habet, iudita est vita rationalis, qua supra spatii, et temporis limites elevatur, atque proprium sibi regnum morale vindicat, ut adeo, supremus hominis in hac terra finis existentia materiali longe nobilior — sit existentia moralis; atque ideo vita illius per eminentiam omnium altissima. Neque tamen singulus homo hoc supremi rerum Auctoris dono, nempe ratione praeditus, sed potius eiusdem capax considerandus est. „Absque intellectus, et rationis lumine animal quidem, quod hominis faciem induit inter homines degere, sed nunquam homo, in homine vivere potest.“ (C. Ph. Hartmann.)

## §. 5.

Omnis vita aliter in lucem emergere nequit, quam per conflictum virium sibi invicem oppositarum, et cum vis a

materia nullibi in natura seiuncta sit, patet inde materiae quoque oppositionem ubique necessariam esse. Haec igitur oppositio dynamico-materialis tam inter singula corpora, et universam naturam, quam inter singulas corporis partes, et harum particulas locum habere debet.

#### §. 6.

Vita hominis est processus dynamicus internus, quo corpus humanum generatur, destruitur, regeneratur, et ad certum usque gradum perfectum varia motus facultate instruitur. (Hartmann.) Vis vitalis, et materia organica, nec non oppositio earum dynamico-materialis efficiunt conditionem unam, seu factorem internum; corpora vero naturae externae, quibuscum in mutuo commercio existit, conditionem alteram, seu factorem externum.

#### §. 7.

Vita vel sana est, vel morbosa: ad utramque clarius determinandam idea normae praemitti debet. Est vero norma complexus illarum naturae legum, quibus corpus humanum vivum existendo, et agendo obtemperare debet. Hae vero naturae leges breviter eo recidunt: ut productio materiae organicae per vitam plasticam naturae hominis generali, speciali, et individuali perfecte respondeat; — ut materia organica in suam certam texturam, et formam redigatur, idque certis temporum periodis, seu aetatibus, quibus congrua esse debet, atque sufficere actioni vitae animalis (irritabilis, et sensiferae). — Vita animalis vero, quoad vim, alacritatem, et contentum, per omnes corporis partes hominis destinationi, conservationi, et evolutioni conveniat.

#### §. 8.

Ex his patet sanitatem humanam esse vitae conditionem normae congruam, s. statum normalem. Vel: sa-

nitas est ille status corporis humani, in quo actio vitalis quoad quantitatem, qualitatem, et concentum harmonicum ita constituta est; ut homo destinationi suae in rerum natura perfecte respondeat. Quantitas, aut vigor vim, et gradum; qualitas indolem, seu naturam internam; — concentus harmonicus mutuam omnium partium relationem quoad actionem vitalem exprimit.

### §. 9.

Ut primum status nunc descriptus quacunq; demum ratione turbatur; tollitur sanitas, et oritur morbus, s. status abnormis; est igitur morbus conditio vitae a norma recedens, s. est ea vitae corporis internae mutatio, qua ipsius evolutio turbatur, destructio promovetur, motusque organicus a legitima ad evolutionem, et totum vitae finem ratione recedit. (Hartmann.)

Recedit vero vita interna a norma triplici modo, nempe: vi sua, huiusque gradu, quantitate in plus, aut minus; indole, s. qualitate, et mutuo concentu harmonico, qui inter diversas corporis partes, et functiones viget. Kieser naturam, et formam morbi in actione vitali minori, et inferiori locavit, unde sequitur morbum non aliquid negativi, spoliationem sanitatis, verum aliquid positivi, atque realis esse. Secundum Jahn morbus est esse proprium, vita in vita, processus vitalis per se subsistens corpori organico insitus, et in eodem radices agens, organisatio parasitica. Hac ratione morbus non esset status abnormis, sed qua membrum necessarium ad conservationem totius corporis suum quoque scopum haberet.

### §. 10.

Dividuntur morbi in *d y n a m i c o s*, et *o r g a n i c o s*. Morbus dynamicus est abnormis processus vitalis ex viribus vitalibus proxime adfectis ortus, e. g. febris. Morbus

organicus est aequè processus vitalis abnormis verum ex laesa organorum structura prorumpens, e. g. vulnera. Neuter est absolute talis, nam laesis viribus vitalibus organa quoque, et vicissim laedi oportet; unde sequitur morbum dynamicum nunquam ita intelligendum esse, ut organicus quoque, et vice versa non intelligeretur; verum solum ex eo, quod alter altero eminentius eluceat, hic, aut ille dicendus erit.

Aliis respectibus dividuntur morbi in acutos, et chronicos; in pandemios (epidemicos, endemicos) et sporadicos; in universales, et locales seu topicos; in protopathicos, et deuteropathicos; in idiopathicos, et sympathicos; in congenitos, et adquisitos; in contagiosos, non contagiosos; in somaticos, seu corporis, et psychicos seu animi; in noxios, et salubres.

#### §. 11.

Secundum ordinem therapeuticum sequentes morborum classes, e quibus iterum ordines, genera, et variae species oriuntur, statui solent:

1. Febres. 2. Inflammationes. 3. Efflorescentiae cutaneae. 4. Excretiones abnormes. 5. Cachexiae. 6. Nervoses.

## Morbi salubres in genere.

### A) Dynamicì.

#### §. 12.

Morbi, qui corpori humano conspicuam salutem adferunt salubres nobis (salutiferi, salutares, critici) dicuntur.

Tales morbi vel aegris, vel reconvalescentibus, vel et sanis accidere possunt. In casu primo morbum prius evolutum aut r subsecutus aut tollit, temperat, aut salubriter mutat, futurum praecavet, et dispositionem

in eundem suffert, aut corrigit, — in casu altero, et tertio, vel plenam sanitatem adurget, vel sanitatem imbecillam ad altiozem potentiam elevat, ipse quoque perfecta victoria in interitum ruiturus, aut si opus fuerit, ad servandam vitam ultro perstiturus; Qua ratione id vis naturae medicatrix molliatur, aut quomodo res progrediatur si ars morbum contra morbum excitare possit, breviter elicere adnitar.

### §. 13.

Multiplex intercedit inter diversas corporis humani partes commercium dynamico-materiale, quod vel in continuo nexu organico, vel in nexu virium vitalium consistit, atque Sympathia dicitur. Haec vel consensualis (consensus) vel antagonistica (antagonismus, oppositio) est. Per consensum adfectio partis cujusdam vel aliis partibus, vel toti corpori communicatur, et easdem, vel similes producit affectiones, e. g. inflammatio ventriculi inflammationem cerebri. Per antagonismum vero adfectio partis unius oppositas adfectiones in partibus aliis producit. Actio igitur partis unius imminuta vel suppressa actionem partis alterius auget, et vice versa, e. g. suppressam cutis externae functionem, aucta membranae mucosae functio per diarrhoeam supplet, et aucta cutis functio (transpiratio) eam membranae mucosae functionem imminuit, atque diarrhoeam tollit. Talis Sympathia existit inter vitam plasticam, et animale, harumque species, inter singula systemata, et eorum partes, inter organa varia etiam remotiora e. g. inter genitalia et mammas, inter testes, et parotides, inter tractum intestinale, et cerebrum. Atque hinc derivatione, translatione, et excretionem e parte una in alteram, et per hanc morbi per morbos jugulantur. Sed morbus recens tantam habere debet cum priori adfinitatem, ut hunc velut adtractum penitus absorbeat: quod quidem in summam aegri salutem cedit, si hac ratione

morbis prior ab organo nobiliori ad ignobilius translatus, et ibidem cum novo morbo penitus eneçatus fuerit. Alio modo morbus novus in corpus aegrum, vel male dispositum ita agere potest, ut inde status quasi tertius oriatur, quo vel materia heterogenea eliminatur, corrigitur, infringitur, vel dispositio mutatur, vel denique utrumque efficitur.

#### §. 14.

Etsi salubres morbi nil, nisi beneficium miserabile dicantur, sunt tamen beneficium, quo milleni mortalium carere nequeunt, quin summa vitae, ac salutis pericula incurrant; factum est enim saepius, ut morbos pertinacissimos per se nunquam solvendo miraculi ad instar profligarent. Rem proficua ferunt plurimi in aetate infantili, in qua molimina evolutionis eo tendunt, ut corpus organicum ad altiore perfectionis gradum evehatur; oriuntur eorum multae functionum turbae, sed in conservationem vitae tendentes, ita exanthemata, salivatio diarrhoea tempore dentitionis — ita inflammatio glandularum colli, tinea, otorrhoea, quae omnia derivant, atque temperant nimiam systematis vasculosi actionem et saepe hydrocephalum faustissime prohibent. In subjectis constitutionis debilis, ubi fere continua infirmitas, habitualis debilitas, id ferunt emolumentum, quod haec multos morbos, qui hominem robustum cito necant, facilius, et diutius perferant, imo frequenter superent, ob minorem reactionem erga potentiam nocentem, efflorescit inde sanitas constantior ideo, quod morbus novus latius per corpus aegri expansus, lente majorem vitae reactionem provocaverit. Porro suppressa, vel imminuta organi alicujus functio alterius organi functionem exaltatam ratione antagonistica insigniter (§. 13.) et saepe unice ad justos suos limites reducit. Sed etiam aucta irritabilitas, quin imo usque ad statum febrilem everta corpus totum ita disponit, ut seminibus quorundam morbo-

rum praecipue contagiosorum recipiendis minus aptum reddatur, id quod de phthisicis, quibus pestis orientalis parit, praecipue adnotavit experientia medica. Multi morbi chronici abscessibus, ulceribus, variis efflorescentiis cutis, psychici somaticis, et vice versa tolluntur. Malum quoque recidivum suam interdum secum fert utilitatem, ut id scabies velociter sanata, et febris post relictos infarctus, asthmata, oedemata, si iterum recurrat, recurrit certo in veram aegri salutem. Tandem quot existunt morbi habituales ut totidem vitae fulcra? quibus dum medela ferretur, tota res in pejus rueret, ut saepe in ulceribus exempla videmus.

## Morbi salubres in specie.

### §. 15.

#### F e b r e s.

Febris est summa illarum mutationum, quae e reactione totius corporis vivi erga stimulum heterogeneum in lucem emergunt; — involvit igitur luctam inter vim sanitatis atque vim morbi, a quarum mutua relatione omnis natura, et differentia dependet.

Febris salubris vero ea nobis dicenda erit, in qua universum corpus vivum seu per se, seu per artem adjuvantis viribus in stimulum morbificum reagit, quantae ad hunc penitus extinguendum necessario requiruntur: reactio haec autem in nervorum, et vasorum vita, seu in sensibilitate et irritabilitate exaltata, quae se aucto motu manifestant, consistit, atque non tantum stimuli heterogenei destructionem, sed destructi eliminationem quoque in effectum deducit.

### §. 16.

Principem respectu salutis ferendae locum sibi vindicat quartana intermittens antiquis, tertiana vero aevi

nostri Medicis salubrior esse videtur; intermittentes vernaes magnae virtutis esse solent, quod corpus quasi depurare noverint. Secundum celeb. I. P. Frank febres vernaes intermittentes eliminant multa tempore hyemis, atque quiete producta mala. Jam ipse terminus febris depurans sua non caret significatione, multasque cachexias, glandularum infarctus, dispositionem ad phthisim profligat, vel emendat, ac denique mucro tenaci soluto varias acrimonias e corpore eliminat. Nervosae feliciter exantlatae meliorem sanitatem post se relinquunt, et morbos praesertim eos, qui ad classem nervosum spectant, saepe radicitus extinguunt: „Reconvalescentes e febris nervosa quasi corpore recenter nato juvenes procedunt.“ (Praelect. R. Bischoff.)

### §. 17.

Ingens est morborum per febres sanatorum numerus, hic frequentius solum occurrentes enumerabimus. Huc pertinent morbi chronici, qui arti pertinacissime resistunt, „saepe natura per febrim tales morbos vincit, qui ad quaevis remedia rebelles manent.“ (Boerhave) in specie 1. Catarrhi chronici. 2. Infarctus, et obstructions „quibus hepar circa circum dolet, his febris superveniens dolorem solvit, sed dolor sine inflammatione esse debet“ (Hippocrates) 3. Hydropes — „In ea hydropis specie, quae cum febris periodica incederet, feliciora auguria promittuntur, uti etiam in hydrope scarlatinam excipiente (I. P. Frank) 4. Arthritis. — „Biliosa, aut intermittens arthritidi superveniens, et prudenter tractata eam saepe sanat“ (Rat. med. Viennae 1830) Articulorum dolores nocturnos, et topbos nulla subinde ratione sanandos febris sustulit, quaecunque demum, et ubicunque demum“ (Mezler) 5. Haemorrhoides „Febris ipsa biliosa morbum haemorrhoidalem sanat ita, ut merbi medicina sit superveniens bilio-



sa“ (Stoll) 6. Scrophulae, quae potissimum tempore pu-  
bertatis statui febrili valde analogae, sponte sanantur.  
„Febres, quarum in stagnandis, discutiendis, solvendis-  
que tenacibus tanta vis, fortuito exortae, scrophulas  
haud raro dispellunt, vel mitigant. 7. Helminthiasis, seu  
morbus verminosus. „Ipse compluries observavi motus-  
convulsivos e vermibus, accedente febre, et vermibus  
per aestum, vel bilem acrem enecatis sponte cessisse“  
(Frid. Hoffman) 8. Chlorosis, seu morbus pallidus virgi-  
num, dismenorrhoea, sterilitas, dysuria, tubercula, et  
phthisis pulmonalis, impetigines. ulcera pertinacia, ala-  
lia, seu abolitio loquelae. 9. Apoplexia, sed rarius, hy-  
steriasis, epilepsia, paralysis, mania, vesania. „Febris  
sub morborum psychicorum initio aggre-diens, illos non-  
nunquam tollere valet, quod si serio intraverit, nonnisi  
suspendit, vel mitigavit per aliquod tempus vesaniam“  
(P. J. Schueider).

### §. 18.

Ex his elucet, cur celebres auctores febribus ingen-  
tes laudes tribuerint: ita Sydenham febrim naturae in-  
strumentum esse dicit, quo partes impuras a puris se-  
cernit. Stahl febrim in se absolute spectatam nihil esse,  
nisi motum naturae per secretionem, et excretionem ma-  
teriae nocivae ad conservationem corporis tendentem.  
Juxta Helmontium febris non est morbus, sed morbi re-  
medium. Caeterum nonnisi sub certis rationibus has  
sibi laudes merentur febres, cum multis respectibus quo-  
que maximas noxas, et damna adferre soleant, verum  
tamen nunquam praecoci medicina fugandae, sed fre-  
quenter, ut salutem ferant, omni circumspectione foven-  
dae, dum opus est revocandae, imo accendendae.

## §. 19.

**I n f l a m m a t i o n e s.**

Inflammatiō seu phlogosis est ille morbus, qui se manifestat rubore, tumore, dolore, calore, et laesa partis alicujus functione.

Inflammationes praecipue in morbis organicis multa sane beneficia praestant. Novimus celerem vulnerum unionem, ossium fractorum conjunctionem, fistularum sanationem, partium mortuarum a vivis avulsionem sub debito inflammationis gradu subsecutas fuisse: sic processus suppurationis suum debet inflammationis gradui determinato decursum, et exitum felicem. Magnum huius veritatis argumentum praebent nobis inflammationes arte provocatae; quae ruborem, et vesicas remedia cuti applicita excitant, an non inflammationem organi nobilis, per inflammationem organi ignobilis tollunt? huc referenda sunt ulcera quoque setaceis, fomiculis, causticis, unguentis irritantibus, moxa, et ferro candenti inducta, quae tot aliis gravibus malis destruendis opponi, et sufficere solent.

## §. 20.

Inter morbos inflammatorios salubres referri solent:

a) Catarrhus. b) Erysipelas imprimis habituale. c) Rheuma partium externarum, et d) inflammationes glandularum: parotidis, submaxillarum, sublingualium, axillarum, et inquinalium.

## §. 21.

Non immerito quidam catarrhum magnis laudibus extollunt: saepe enim varia inde utilitas evasitur, dum nunc aliorum morborum vices agit, nunc praesentes abigit, uti dolores capitis; tinnitum aurium, visus aliena-

tionem, nunc denique futuros praecavet. „Quemadmodum enim in dies caput purgatur per nares, ita extraordinem aliquando maiori copia, salutari etiam conatu, et scopo tales seroso mucidi humores eliminantur, ut non modo in genere corpus humanum, sed praesertim capitis partes, imo et ipsum cerebrum ab hac impura, et superflua colluvie repurgentur.“ (Frid. Hoffmann.)

Erysipelas imprimis habituale saepe multis functionum vitae turbis, atque morbis in longius tempus protractis finem imposuit. Casta experientia compertum habemus rheumaticas, atque arthriticas passiones, haemorrhoides suppressas, obstructions, mala e bile orta, anginam, colicos, et capitis dolores, asthma convulsivum, epilepsiam, vertiginem, catalepsim erupto erysipelate vel penitus abacta, vel saltem lenita fuisse. Aegri adfecti feбри gastrico-nervosa erysipelate in facie orto convaluerunt, id quod non aliter, quam ratione sympathica, et in specie antagonistica, qua praedicti morbi ex organis nobilibus ad minus nobile seu cutem externam dynamico-materialiter derivantur, fieri posse intelligimus. (§. 13.)

Rheumaticae adfectiones partibus externis impactaerem praebent admodum utilem, si accesserint inflammationibus characteris rheumatici partium internarum. Testante cel. Selle phtysis quoque pituitosa per eiusmodi passiones rheumaticas fuit exturbata.

## §. 22.

Has naturae stupendas operationes ars quoque faustissimo cum successu imitari solet; quem in finem in arthrocaeco s. inflammatione genu, in ischiade nervosa, in pertinacibus rheumatibus confugit ad remedia revellentia, derivantia (§. 19) cuti externae adplicanda. His accedunt impetigines, chronica adfectio pulmonum, tracheae, laryngis, adfectio aurium, et oculorum, dolores

dentium, et hemicrania, quae cuncta memoratis remediis (§. 19.) mirum in modum extincta sunt.

## Efflorescentiae cutaneae.

### §. 23.

Efflorescentiae cutaneae, seu Exanthemata sunt morbi illi, qui in cute externa sub diversissimis formis occurrunt. Interdum suam salutiferam virtutem aequae exercere possunt, dum partim in externa tamquam ignobiliori corporis regione varia inquinamenta excernunt, partim irritamenta internis partibus infensa derivant, obtundunt, extinguunt, sicque graves morbos praepediunt, aut eorum vices suscipiunt. Adfectiones nervosae, gastricae, inflammationes internae, amblyopiae, amauroses, febres intermittentes pertinaces, rheumaticae passiones efflorescentiis prorumpentibus sanari visae sunt.

### §. 24.

Ad efflorescentias proficinas referri merentur: a) Variolae. b) Milliaria. c) Urticaria. d) Hydroa febrilis. e) Scabies retrogressa, aut retropulsa. f) Tinea capitis et crusta lactea. g) Impetigines. h) Psudrasia hypochondriacorum. i) Furunculi.

### §. 25.

Variolae multa mala radicitus frequenter sustulerunt. Infantes, qui ante variolas imbecillitatis labe notati fuere, qui variis oculorum, et aurium fluxibus obnoxii, tinea capitis maligna obsiti, rachitici, tabe adfecti variolis eruptis bonam receperunt valetudinem. Sed et adultis, retentione mensium obnoxiiis feminis integram restituerunt sanitatem ita, ut maius corporis robur, et nutritio longe laetior inde sequerentur. Denique scrophulae, impetigines pertinaces, paralyses, phtysis, tumor chronicus testiculorum, asthma, dy-

sententia et teste celeb. Hufeland naevi quoque materni profligati sunt. Intelligitur hinc una, quantae laudis, quantae dignitatis, et momenti sit morbus ille, quem vaccinae insitione procurare solemus.

Milliaria in arthritide, erysipelate, ictero, epilepsia, paralyti, lypothimia, colica renali, scrophulis, rheumate, blenorrhoea vaginae, et uteri, imo in melancholia quoque eum salutarem praestiterunt effectum; ut vel mala recensita penitus deleverint, vel magna pro parte imminuerint.

Urticaria febribus rheumaticis, et aphlis interdum finem imposuit.

Hydroa febrilis tam priscis, quam nostris quoque temporibus magnam sibi celebritatem meruit. Post febres, quae sub morborum chronicorum decursu exoriuntur, si erumpit, sit id cum insigni aegrorum emolumento. „In tussi humida asthmatica, si pustulae prurientes ad labia efflorescant, spes emendationis concipienda, quia morbi causa viam aliam legere videtur.“ I. P. Frank.

Scabies retrogressa, aut retropulsa, si iterum erumpit, sane innumeros morbos uno quasi ictu perimit eo, quod ex aliis locis, ubi parasitice vixit, in suam rediverit aedem. Huc praecipue refertur asthma, phthisis, arthritis, rachitis, hydrops, empyema, somnolentia, ischias, amaurosis, surditas, et multorum aliorum agmen. „Si vero amaurosis cum quopiam alterius ordinis morbo societur, oculi affectio nunquam sanabitur, nisi eo feliciter profligato.“ (J. Th. Fabini de morb. oculor.)

Tinea capitis et crusta lactea est plerumque saluberrima excretio humorum copia abundantium, et in superiore corporis parte congestorum. Hac e ratione infantes potissimum bene valere solent, et morbo superato in floridam ponuntur sanitatem. Dolores capitis chronicos linea finitos esse, experti docent, sicuti etiam

achores ad propulsandos morbos fausto cum eventu inserti sunt." P. Frank. Etiam Hippocrates monet, sub infantum ulceribus multum momenti latere ad avertendam epilepsiam.

Impetigines in rachitide et scrophulis prosunt; „in raphania quidam inter exanthema psorae simile sanitati restituuntur." (J. P. Frank.) Herpes internarum partium dolores, et nervosas adfectiones, uti hypochondriam, vertiginem, cordis palpitationem hic, atque ibi concussit. Psydracia hypochondriacorum, seu maculae, et pustulae cutis fere scabiei similes in hypochondria multum levaminis adferunt; psydracia periodica sub retentione mensium certis temporibus recurrere, et fluxus menstrui vices, et decursum absolvere solet.

Furunculi super totum corpus frequenter effusi saepe in salutem cedere possunt. Post morbos varios, eosque graves saepe observatur ingens furunculorum copia in eum finem exorta, ut quidquid materiae morbificae adhuc in corpore lateat, penitus eliminetur e. g. post febres nervosas. Et subinde post furunculorum eruptionem experitur aeger levamen." (Fr. Bene Elem. Medic. Pract.) Desquamatio quoque epidermidis hic loci commemoranda esse videtur, quae frequenter spatio unius etiam anni continuo locum habet, quin quid noxii in secundam ruat valetudinem, ut potius phenomenon hoc naturae nomine processus depurationis insigniri liceat.

---

## Excretiones abnormes.

### I. Profluvia seu fluxus.

#### §. 26.

Nomine profluviorum intelliguntur illi morbi, qui se manifestant per effusionem liquidi cuiusdam extra sua receptacula.

Frequenter laetissimos adferre solent effectus: quemadmodum enim in febribus inflammatoriis saepe sanquis e naribus, utero, vel ano largiter profusus easdem initio jugulare, serius mitigare, ita etiam fluxus alios forte suppressos vicario modo supplere, atque sic diversas turbas moderari valet; ut adeo in tanto morborum agmine praeter febres profluvii quoad vim salutiferam maxima tribui debeat dignitas. Agunt fluxus iam derivando, iam supplendo, iam excernendo, et licet profluvii artificialibus hodie saepius institutis frequentia profluviorum naturalium magnopere limitatur, eorundem beneficia tamen uberius contemplari fas est.

#### §. 27.

E classe profluviorum ea, quae saluti cedunt, hic sequuntur. a) Haemorrhagia narium, seu sanguinis fluxus e naribus. b) Haemorrhoides. c) Haematuria seu mictus cruentus. d) Uretorrhagia s. stymatosis, seu fluxus cruentus ex urethra. e) Metrorrhagia, seu fluxus sanguinis ex utero. f) Haemorrhagia post traumaticas s. e vulnere ortas inflammationes. g) Varices fluentes. h) Vomitus. i) Diarrhoea. k) Frequens urinae excretio, et diabetes spurius. l) Ptyalismus s. salivatio. m) Ehidrosis, s. sudatio. n) Leucorrhoea s. fluor albus. o) Bleorrhoea intestini recti, et p) Otorrhoea puriformis.

## §. 28.

**Hæmorrhagia** narium summe dignitatis est in constitutione plethorica, et abnormi vasorum capitis repletionem: hinc febrem synocham, inflammationes præsertim capitis, icterum, retentionem menstruorum, cephalæas, odontalgias, aphoniam, vertiginem, maniam sæpe prompte dispergit: similem licet minorem, hæmorrhagiæ aurium vel oris sibi vindicant laudem, uti: in inflammatione auris, cerebri, deliquiis animi, et, convulsionibus hystericis. Imo virtute omnis ævi; testimoniorum spiritum quoque sanguinis, et vomitus cruentus feminis in suppressione, aut retentione mensium prodesse, vel etiam periodice insigni cum fructu reverti visa fuerunt; fluxus sanguinis autem ex ano sub exordio dysenteriae in aegri emolumentum cessit.

**Hæmorrhoides**, quæ fors duas tertias generis humani infestare solent, virtute aequæ, ac laude ab omni ævi medicis insigniebantur. Præter molestias, cum quibus incedunt ad vitam protrahendam a multis conferre multum dicuntur (sana infirmitas, infirma sanitas). Nulla sane existit ratio, cur hæc sanguinis, per anum excretio in viro lautius nutrito, ac florido non eadem, quæ fluxus mensuus mulieri commoda præstaret, et si quidem iuveni, sanguine turgenti, eiusdem fluxus e naribus concludit, non plus periculi in simili fluxu per iter inferius quaerendum est. **Salutiferum** exerunt effectum in multis morbis acutis, inflammationibus, congestionibus passivis in pelvi, et vena portae, in congestionibus pectoris, et capitis, in febribus biliosis, et intermittentibus, hæc mala non solum tollunt, sed eadem præcipue horumque tristissimas sequelas e. g. apoplexiam præcavere solent, et denique in genere molestiis hunc fluxum præcedentibus cum insigni voluptatis sensu finem imponunt.



**Hæmaturia**, seu mictus cruentus in plethora, amenorrhœa, et suppressione hæmorrhoidum testibus **F. Hoffman**, **Reil**, et **Esquirol** eximie proficua fuit.

**Uretorrhagia** s. stymatosis, s. fluxus sanguinis ex urethra — in eiusdem inflammatione, et hæmorrhagia præstantem adfert utilitatem, si sufficiens copia sanguinis excernatur.

**Metrorrhagia** quoque non semper metuenda, nam in inflammationibus uteri aliorumque organorum, præcipue e mensium retentione oriundis suam sibi vindicat dignitatem. Veritatis cultores insignes **Haase**, et **Esquirol** morbos quoque psychicos, imprimis vero maniam hoc fluxu sublato fuisse testantur.

**Hæmorrhagiæ traumaticæ**, seu illæ, quæ in sequelam vulnerum oriuntur, inflammationi, suppurationi, imo gangrænae quoque partium læsarum limites ponunt — sanguinis infiltrationem, aliaque incommoda prohibent, corpora peregrina eiiciunt, atque repellunt venena.

Varicibus fluentibus phrenesis, melancholia, et mania, ut **Pater Hippocrates** scribit, eversæ sunt. Secundum **Reil**, **Kreissig**, et alios in hypochondria, hæmorrhoidibus, et arthritide insignia levamina tulerunt. Nec omittendum est plurimas gravidarum molestias vomitum, congestiones, angores, pulsationes, et sic porro per varices optime sæpe averti.

Plures medici mentionem faciunt aliorum etiam licet rariorum fluxuum; huc referendi sunt: sudores cruenti, lachrimæ cruentæ, fluxus cruenti ex auribus, gingiva, oesophago, mammis, digitis, ductibus salivalibus, umbilico, ex ulceribus, et cicatricibus reseratis, quæ omnia in salutem ægrorum interdum evenerunt.

## §. 29.

**Vomitus** in morbis gastricis principem laudem meretur; commotionem totius corporis producit, circum sanguinis vivaciorem reddit, functiones languentes erigit, peregrina eiicit. Vomitus vehemens calculos felles, aut renales nonnuquam propellere nititur. Eximiae virtutis est in febrium continuarum initiis, in diarrhoea rebeli, celebratur etiam in fame canina, dysenteria, periodicis capitis doloribus in vertigine, dolore dentium, atque morbis psychicis. — Et post ingesta venena, si celerrime sequatur, quis nescit eundem, unice verum, tutum, et securum remedium esse. In hypochondria, multis insultibus praevis murum struit, et post praegressam iram, atque terrorem insigne levamen adfert. Occurrunt etiam vomitus periodici, menstrui, annui, atque hi colicam, vertiginem, dolores capitis, palpitationem cordis prohibent, et languentem erigunt appetitum.

**Diarrhoea** salubris esse consuevit, quoties cibi, aut potus magna copia ingesti primas vias ita impleverunt, ut subigi amplius non potuerint: sic vermibus quoque multis, et materiis undecunque advectis egerendis, et levamini ferendo par est. Neque sua caret utilitate in hypochondria humida, polysarcia s. morbo obeso, cyanosi s. morbo caeruleo, arthritide, obstructionibus chronicis, hydrope, febribus periodicis rebellibus, inflammatione organorum centralium, oculorum, in epilepsia, melancholia, paralyti, auditu abolito, quibus si accesserit, molestias, et pericula evertit.

His frequens quoque urinae excretio subungi potest: prodest vero hoc phaenomenon teste **B o e r h a v i o** in febre ardente, in inflammatione pleurae, renum, apoplexia. Ubertas etiam observationum in hydrope, ictero, calculis, palpitatione cordis a frequenti urinae excre-

tione salutem, aut levamen aegris adlatum fuisse docet. Diabetes spurius, rheumaticis, hystericis, hypochondriacis, et sub dentitione beneficam operam praestitit.

**Ptyalismus, s. salivatio.** Etiam huic morbo sua tribuitur salubris agendi ratio. Si circa finem morbi cuiusdam, atque sine iactura virium aegri compareat, malum hac via fractum, et deletum iri indicabit. Febrim malignam, hydropem, phthysim, arthritidem, scorbutum, icterum, rheuma chronicum, epilepsiam, et trismus sustulisse narratur.

**Ephidrosis s. sudatio** quamdiu sine ruina virium occurrit, in bonam partem cedit. Post laesam cutis transpirationem in feбри ardente, et inflammatione hepatis egregiae virtutis sudores sunt. Omnes consentiunt auctores in cholera epidemica eruptionem sudoris divinum paene saepius tulisse solatium. In peste vomitus, fluxus alvinus, aliaeque ejectiones violentae sudoribus coercitae sunt. Sudores pedum arthriticis insigne levamen, sanis vero praeversionem variorum morborum conciliant, qui si habituales, aut periodici fuerint, nisi turbas in corpore excitare velis, eos nunquam suppressere audebis.

**Leucorrhoea s. fluor albus** contra variis morbos mulierem tuetur, maxime praeventit adfectiones catarrhales, et diversas nevroses: „Latens enim morbi alterius materias ad genitalia ferri consveta, profluvium hic excitat minus incommodum, vel causae morbi antiqui, quasi per foniculum pars aliqua quotidie difflatur.“ (Frank.)

**Blenorrhoea intestini recti.** Haec aliorum morborum, videlicet haemorrhoidum fluxus menstrui, fluoris albi, rheumatis, atque arthritidis vicibus fugitur, hac ratione sanitati relativae conservandae praest.

**Otorrhoea puriformis** denique dolores aurium, dentium, aliasque capitis noxas de radice convul-

lit. Secretio etiam chronica pone aures vicens damna ab actione Scrophularum imprimis occultarum forte surrectura, et longe graviora praevertit, quod naturam earundem ad superficiem externam adliciat, atque tandem enecet.

---

## II. Retentiones.

### §. 30.

Retentiones s. epischeses sunt illi morbi, quibus liquida secus excerni solita vel penitus, vel pro parte retinentur. Ex his nonnisi a) Amenorrhoea, seu retentio catamenialis s. retentio fluxus menstrui, et b) ischlochchia seu retentio lochiorum, s. retentio fluxus post partum et c) Icterus ad salubritatis regionem spectant.

Existunt enim temperamenta, et constitutiones, quibus humorum excretio, secus ad statum normalem referenda, malitiae vim non exiguam infligere potest. Ita profecto rem natura instituit, ut, si quid in corpore humano quocunque demum ratione amissum fuerat, id aliis non sufficientibus copia eorum, quae excerni debuissent, singulari atque insolito modo restitueretur, aut quod vi sua educi non poterat, per vias inconsuetas educeretur.

### §. 31.

Retentio mensium ante pubertatis annos, dum corpus muliebre ad evolutionis, et perfectionis suae culmen properat, quod non solum innoxia, sed necessaria quoque sit ultro progredi superfluum foret; sed post pubertatis etiam tempus feminis rem utilem, et saluti-

feram hic retentus fluxus adferre solet. Nonnulla enim systemata, aut organa neque eorum adhuc congruam suae destinationi perfectionem consecuta sunt, et ulteriore adhuc ad opus perficiendum egent vi, et materia, quas dum ceteri humores haud sufficiunt a mensium retentione sibi desumere tendunt. Verum omnibus quoque ad normam evolutis praegressi morbi interdum magnam post se relinquunt debilitatem. Tum vita suas vires restaurare nitendo etiam illa intercipit, quae secus qua inutilia, aut superflua excernenda fuissent, atque in usum suum convertit; patet hinc in retentione evolutionis corporis organici, et hujus debilitate retentionem fluxus menstrui salutarem esse. „Dum annis pubertatis superatis fluxus catamenialis non comparet, sanitate puellae illaesa remanente, tunc talis retentio morbosa non est.“ (Fr. Bene Elem. medic. Pract.)

Retentio lochiorum in casibus, in quibus magnus sanguinis fluxus e vagina praecessit, salubris nuncupari potest; quod enim sensim sensimque atque sub pluribus formis egerendum fuisset, id praecipiti modo, utique in veram aegri salutem, praevia promovit antocratia naturae. Sed etiam in debili, aut peculiari constitutione individuali suo non caret fructu. „Dantur quidem mulieres valde raras, quae nec sub partu, nec tempore puerperii profluvium ullum e vagina experiuntur ita, ut retentio lochiorum ad sanitatem earum individualem pertineat.“ (Fr. Bene Elem. Medic. Pract.)

Icterus seu morbus flavus, s. morbus regius e causis, quae temporis decursu tolli possunt ortus pro salutifero habendus est; elementa enim biliosa, quae per vias ordinarias mox duci nequiverunt, ne in partibus internis cum damno sanitatis retineantur, per vias insolitas

uli: urinarias, salivales, et cutaneas eiciuntur. „Icterus febribus superveniens hisce nonnunquam terminat.“ (Hippocrates).

---

## N e v r o s e s.

### §. 32.

Nevroses morbi sunt, qui in eminentibus systematis nervosi perturbationibus consistunt. Multi huic morborum classi obnoxii homines aliis malis supervenientibus a nevrosis liberari quidem solent, verum in maiores coniciendi molestias; ut adeo si nevroses vel diu silentes, vel arte suppressae iterum redeant, sanitas relative maior una redire consuevit. — Verum et id singularis habent, quod contra gravissimos, et vitae periculo plenos morbos, praesertim contagiosos immunitatem largiantur.

Quemadmodum enim febris feбри, fluxus fluxibus, inflammationes inflammationibus, ut e prioribus elucet, ita dolor etiam dolore leniri, aut penitus penitusque conteri potest. Erant, qui statuerunt dolorem summum esse naturae donum, neque immerito; verum enimvero sensu doloris de sede, gradu, et indole gravium edocemur morborum, eodem functiones nervorum prudenter intenduntur, motus languidi excitantur, sicque causa morbi magis magisque subigitur, et ad criticas excretiones, aut bonae indolis metastases disponitur. Hac e ratione in morte adparente, luxatione spontanea, ischiade, aliisque adfectionibus dolorem justo provocamus.

## §. 33.

E nervosibus praecipue a) Otagia s. dolor aurium b) Sternutatio c) Lypothymia s. animi deliquium. d) Tussis. e) Nausea, et vomituritio, ac denique f) auditus abolitus referuntur.

Otagia s. dolor aurium in paralyysi salutem feret, si in partibus paralyticis, fornicationis, et doloris sensus cum convulsionibus emerit. Dolores quoque partium externarum circa finem morborum acutorum subingressi emolumento esse solent.

Sternutatio. Huius bonorum effectuum exempla complura habentur. Valet praecipue in effusione fluidorum liquidorum in cavo cranii occurrente, in obstructione narium per mucum corpora peregrina, aut irruptionem insectorum in illas; quo fit, ut naturae nisu tandem ejiciantur. Insignem quoque operam praebet in singultu, adfectionibus hystericis, et in protracto partu ob infractas vires vitales. — Ad extremum vehementes etiam insultus tussis ferinae per concussionem ex hoc respirationis modo secutam in nihil redacti sunt.

Lipothymia s. animi deliquium in haemorrhagiis, morbis cardiacis, et luxationibus antiquis bonos producit effectus. Natura enim non solum augendo, sed etiam minuendo vires vitales secundam restituit valetudinem, ut adeo excessus vitae in haemorrhagiis functionum nervorum suppressione saepe compescatur. Et profecto relaxatio universorum musculorum membrum e suo loco dimotum pristino situi restituit: qua de causa animi deliquia arte quoque inducere solet superba ars.

Tussis in vias respirationis, et viscera abdominalia bonum interdum exerit effectum; sub hac enim non

solum pulmones externam compressionem, sed una cum bronchiis, et trachea vivam simul contractionem experiuntur, unde muci in his partibus ultra normam collecti, et peregrina, quae hic praeter normam continentur, celerrime ejiciuntur, sanguinis simul per pulmones motui novus additur impulsus; exstant exempla vomitum in pulmonibus haerentem tussi ruptam, et sanitatem plenam restitutam fuisse.

Per tussim viscera etiam abdominis in suis functionibus adjuvantur — circulus sanguinis in iis expeditur, secretiones promoventur, stagnantia in libertatem restituuntur, et per consensum vomitus quoque cietur ad primas vias a sordibus liberandas.

Nausea, et Vomituritio svadetur arte provocanda in nevrosibus; hac enim ratione in organis sensuum, olfactu, gustu, visu, atque cerebro sympathico modo reactiones provocari, et concentus harmonicus restitui potest.

Auditus abolitus s. Cophosis tandem, in typho, morbillis, et arthritide, si ante crisin intraverint, salutaris erit; faustam enim dispositionem, aut ad tubam Eustachii, aut ad internam externamve aurem jam factam esse indicat. Nam partes hae materia morbose secreta serius his viis excernenda obstruuntur, nervum acusticum ambiunt, obtundunt, et eliminatis peregrinis suae iterum functioni in salutem aegri restituunt.

---



## B. Morbi organici.

### §. 34.

Quaelibet formae organicae laesio cuiuscunque demum sit originis, dynamicae, aut mechanicae alienam actioni vitali viam praescribit.

Pauci igitur hujus provinciae morbi salutare dicitur nobis possunt; nisi hoc respectu, quod praesentia sua in quibusdam individuis, vel reactionem vitae debilis majorem provocant, vel destructioni aliorum morborum, quorum vi succumberet vita, praefixi sunt, laudari merentur. Hic idcirco solum vulnera, et ulcera commemoranda erunt.

Vulnera ejus sunt indolis, ut magnum vitae renisum sollicitare sciant; vita enim supremae naturae legi inhaerendo, qua semel ad eundem, quo orta est, typum conservare studet, inflicto vulnere, amissas materias mox resarcire omnimode nititur. Surgunt hinc omnes functiones fortius usque ad febrim interdum traumaticam extimulantur, et majus vitae robur post se relinquunt. Sed alios etiam morbos per derivationem, et excretionem contundere valent, uti rheuma pertinax, chronicas latentes inflammationes, praecipue tracheae, oculorum, aurium etc. Ideo si natura modo dinamico necessariam continui laesionem non inducat, Medici arte vulnera e. g. fonticulos excitare solent.

Ulcera semper originis dynamicae non semper vituperio plectenda; mentionem hic facere liceat de antiquis crurum ulceribus, quae frequentissime in senibus utriusque sexus occurrere solent, et innumeras miserias, abdomi-

nis cruciatus, hysteriam, hypochondriam, vesaniam, asthma, phtysim, hydropem, amaurosim, cophosim etc. praevertunt, quae neglecta, aut perverse tractata si exaruerint, fatum deplorandum iam saepe advexerunt. Ita nati in abdomine abscessus foetum mortuum, lumbricos, calculos, et alias morborum materias felicissime excluserunt.

\* \* \*

Ex his videre est morbum per morbum non solum posse, sed revera sanari, et simile per simile tolli. Neque tamen id ita, sicut Medicina homoeopathica statuit, intelligi velim; nam sicut in universis rebus, ita in sanatione quoque morborum oppositio dynamico-materialis suum sibi vindicat locum: et utique idea similis nunquam ideam contrarii excludit.

## T H E S E S.

---

1. *Historia naturalis specialis fundamentum omnis medicinae.*
2. *Systema nervosum foeminae altiore vitam vivit, quam maris.*
3. *Dantur morbi salutare.*
4. *Uti morbi regionum, sic existunt, et morbi gentium.*
5. *Omnium quidem siderum, sed praecipue lunae in corpus humanum magnus influxus.*
6. *Medicus nisi unilateralis esse velit, nulli theoriae, velut infallibi juret.*
7. *Ex gratissimis animi affectibus non raro morbi, et mors.*
8. *Mutationes anni temporis maxime pariunt morbus. (Hippocrates.)*
9. *Remedium universale non datur.*
10. *Nec remedium, nec venenum absolutum.*
11. *Morbi contagiosi a matre ad foetum sub graviditate nunquam transplantari possunt.*
12. *Malus mos est submersos, postquam ex aqua extracti sunt, pedibus suspendere.*
13. *Vehemens corporis motus post pastum magis nocet, quam quies.*
14. *Natura simplicibus eget remediis.*
15. *Medicum in morbis acutis Marcellum strenuum, in chronicis vero Fabium cunctatorem agere oportet.*
16. *Ahortus procuratus a primo conceptionis momento homicidium.*
17. *Matrimonia aetate idonea, et sanis concedantur.*

18. *Ars obstetricia medico summe colenda.*
19. *Ad vulnerum consolidationem balsamus optimus est pus bonae indolis.*
20. *Quamdiu contra Ophthalmiam Aegyptiacam remedia specifica nota non fuerint, methodus antiphlogistica fortior maxime congrua.*
21. *Medicus est homo omnium populorum, omnium temporum, alibi alia iura, alii mores, sed Medicina eadem.*
22. *Scientiarum naturalium cultor assiduus, religionem non colere non potest.*
23. *Non aetas, sed iudicium facit Medicum.*
24. *Animi mores corporis temperamenta sequuntur. (Galenus.)*

